



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quòd Imperator & tyrannus Procopius, cum propter quandam Phrygiae  
ciuitatem praelium commisissent, Imperator tyrannum ducum suorum  
proditione capiens, cum ipsum tum ipsius duces, suppliciis ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

Quapropter Eleusius Sizici episcopus vnà cum suis tum superiores partes adeptus, ad aliquod tēporis spatiū, dogma illud, quod à Macedonio eius authore nomen inuenit, quodque nunc paulò ante in concilio Lampsaceno multo euidentius omnibus patefactum fuit, propugnauère. Istud concilium, causam equidem fuisse arbitror, cur Hellespontus (est enim Lampsacus in angusto Hellespōti sinu posita) tanta Macedonianorum frequentia abundaret. Hoc quidē conciliū talem habuit exitum.

*Quòd Imperator & tyrannus Procopius, cum propter quendam Phrygiæ ciuitatem prælium commississent, Imperator tyrannum ducum suorum proditione capiens, cum ipsum tum ipsius duces, suppliciis iniustis traditos trucidauit.*

## CAP. V.

**A**Nno sequenti, Grätiano, & Dagalepho Cofs. bellum geri cœptum est. Nam tyrannus Procopius Constantinopoli egressus, parat cum Imperatore dimicare: quo audito, Valens relicta Antiochia, Procopio obuiam ire cōtendit: cum illo ad Nacoleam, urbem Phrygiæ conferit manus: primo prælio inferior fuit. Paulo post Procopium à ducibus suis Angelone. & Gomario proditum, viuū cepit. Quos quidem peregrinis ac nouis affecit suppliciis. Nam proditores neglecto iureiurando, quo se illis astrinxerat, ferris dissectos è medio sustulit. Tyranni autem crura duabus arboribus, quæ non longo interuallo inter se distabāt, ad terram inflexis, alligauit, deinde arbores in sublimē de- nuo se tolli permisit: quæ in altum sublata, Procopium discepserunt. Tyrannus igitur eo modo in duas partes diremptus, misere interiit.

*Quòd post interfectum tyrannum, rursus Imperator eos qui in concilio coacti fuerunt, ad Arianam opinionem adegerit, itemq; Christianos omnes.*

## CAP. VI.

**I**mperator rebus tum prosperè & feliciter gestis elatus, rursus in Christianos tumultus propterea ciens cœpit, quod